


V. C. VIDI
FABRI PIBRACII
GNOMICA EX GALLICIS

TETRASTICHIS LATINA

Disticha facta:

Auctore,

IAC. GYVIONIO HEDVO.



LVTETIÆ,

Apud Federicum Morellum Typographum
Regium, via Iacobea, ad insigne Fontis.

M. D. LXXXIIII.

EX PRIVILEGIO REGIS.

AD LECTOREM.

MELLIFLUVOS hinc tu, Lector, ne quare lepores:
Pagina si prodest nostra, diserta sat est.

I. G. H.

DISTICHON FED. MORELLI.

GALICA, GRÆCA, LATINA TETRASTICHA, TRISTICHA
deinde,
Disticha nunc dedimus: num breuiora iuuant?



V. C. VIDI FABRI PIBRACII

GNOMICA EX GALLICIS TE-

trastichis latina facta.

I.



RÆCIPVA cole post numen pietate
parentes:

Hoc tibi sit prima religionis opus.
Integer & rectus ius, infontemque,
tuere,

Nam supero iudex te Deus axe manet.

II.

Gratia si tibi ius, sordésque & munera dictant,
Ultorem spera non procul inde Deum.

III.

Ab Jove principium lucis que operis que petatur,
Serus in hoc facto desinat esse labor.

IIII.

Quod Græcus iubet ille, sede cum numen adoras:
Attenta colitur religione Deus.

A ÿ

*Hoc illud caue ne dicas mea dextera fecit,
Sed Deus hoc per me, dic mage, fecit opus:*

*Urbs una est, magnus quodcumque amplectitur Orbis,
Civis in hac iure est. Græcus Arâbsque pari.*

*Te Deus in medio sacra velut æde locavit:
Picta Dei circum numina mille vides.*

*Nullus in hoc templo tibi numinis angulus expers:
Quod medius spectes, undique numen habes.*

*In te verte oculos, terram, mare, sydera numen,
Aspicias: in te machina tota latet.*

*Omnia nouisti si te modo noueris vnum,
Hoc mentis porro est & rationis opus.*

*Non homo quem spectas, hominis sed vile grabatum,
Sed dici carcer, sed Libitina potest.*

Pulchrior

XII.

*Pulchrior intus homo est, fallit mortalis imago:
Sola mente, velut numen in ade, sedet?*

XIII.

*Ecquid homo est? radius divinae lucis & aura,
Sacra atomus, vitae stilla perennis aqua.*

XIV.

*Ergo age vile solum, & mortales despice curas,
Unde fata est caelo stirps caput alta ferat.*

XV.

*Stemmata si iactas, tantum caelestia iacta,
Inde tibi patria est, & pater, inde genus.*

XVI.

*Mitte Ideas rerum archetypas inquirere causas:
Causa fuit rebus sic voluisse Deum.*

XVII.

*Vnus ei voluisse labor, velis, illicet actum est:
Hoc creat, hoc soluit cum. It' creata mudo.*

XVIII.

*Aspice sublimi pendentes fornice caelos,
Aether aque, & geminis sidera fixa polis.*

A iij

XIX.

*Denique quodcumque est, & quod fuit aut erit usquam,
Id Domini est, hoc sic esse volentis opus?*

XX.

*Ab fuge cænosos Epicuri de grege porcos,
Fors quibus, & numen sola libido sita est.*

XXI.

*Spurcitie tantùm gaudent & sordè lutòque,
Qualis in immundis rana palustris aquis.*

XXII.

*Aduersis pius & latis cole numina rebus,
Semper & in solo spem tibi pone Deo.*

XXIII.

*Non benè mortali tutum est confidere dextra,
Assertore sibi Rex eget ipse suo.*

XXIII.

*Crescit in aduersis insti fiducia rebus:
Nam regitur dextra tunc propiore Dei.*

XXV.

*Sola bonum virtus: nam cætera corporis, atque
Fortuna, dici vix bona posse reor.*

Extremis

XXVI.

*Extremis virtus iacet interiecta duobus,
Nec plus hinc quàm par, nec minus inde capit.*

XXVII.

*Mens etiam solas ardet virtutis in umbras,
Quid si oculis nudam se daret illa tuis?*

XXVIII.

*Vt sapiat portetque tibi mera gaudia natus,
Exempli brevis est & via plana tui.*

XXIX.

*Tuta via est, sectare boni vestigia patris,
Aut maculam dele, si patris vlla fuit.*

XXX.

*Est aliquid claro maiorum stemmate nasci,
Plus tamen est natis stemma dedisse suis.*

XXXI.

*Vsque vel ad tumulum supremaque funera disce,
Quoque nihil disces, crede perisse diem.*

XXXII.

*Erranti monstrare viam & succurrere lapso,
Humanum est: veteres hoc monuere pij.*

XXXIII.

*Chara quidem vita est, sed & hæc quoque cedat honori:
Munus, & officij sic genus omne voco.*

XXXIII.

*Cùm possis hodie faciam cras, dicere pigrum est?
Et mandare alij tūte quod ipse potes.*

XXXV.

*Conciliet tibi vita bonos: contagia morum,
Pelle malos abs te, quàm potes usque procul.*

XXXVI.

*Alcida biuium ingressus, quæ ducit Olympo,
Ardua difficilem per iuga carpe viam.*

XXXVII.

*Ne miseris illude, pedem néue obijce cæco,
Nec lacera sæuis corpora sancta probris.*

XXXVIII.

*Fac, age, sis verax, seu fortè rogabere testis:
Seu poscet lepidos hospita mensa cibos.*

XXXIX.

*Vndique quadrata sibi constat imagine verum,
Non secus ac solido tessera plana fitu.*

Captat

.. XL.

*Captat anem fallax mentitis cantibus auceps,
Instruitur fictis lingua dolosa sonis.*

.XLI.

*Arcani vulgare fidem caue futilis, at si
Percontator eris, vix bene fidus eris.*

XLII.

*Utere mensuris & lancibus integer aquis,
Nec sortem nisi cum fenore redde suo.*

XLIII.

*Depositi seruanda fides, nec quando reposcer,
Qui dederit, lites nocte fugásque fori.*

XLIIII.

*Vrge odijs vitáque malos & radis amantes,
Ut Libycas odit pastor agítque feras.*

XLV.

*Non satis est nulli damnúm-ve malúm-ve dedisse,
Ni prohibes etiam quâ potes vsque dari.*

XLVI.

*Fortis an Herculeis aspiras laudibus ? Iram,
Et ventrem, & flammás vince Cupidincas.*

XLVII.

*Affectus vicisse suos victoria summa est,
Hostibus hac domitis itur ad astra via.*

XLVIII.

*Ne subito sciri si quid peccauit amicus,
Sed peragat partes blanda querela suas.*

XLIX.

*Humanum est lahi: nemo tam factus ad unguem,
Cuius non aliquid iure notare queas.*

L.

*Aspicis hunc tetricam simulantem fronte Catones?
Ab quam longe alium nos et amicum videt.*

LII.

*Vt fallas alios, ipsum te fallere certe
Non potes, et viris oculuisse tui.*

LIII.

*Ipsa tibi censor, tibi iudex ipse: nec ulli,
Reddenda est ratio, quam tibi, prima tui.*

LIV.

*Esse bonus contende, nec affectato videri,
Rumores contra, mens sua cuique fat est.*

Da

*Da misero dextram, succurre benignus egeni:
Tēque tuāsque Deus sic cumulabit opes*

LV.

*Horrea non Cererem capiunt, non cella Lycaum,
Et vestem & nummos non capit arca tuos?*

LVI.

*Quò tot opes! iacet interea tibi pauper, & alget,
Ante fores, siccā tabidus ore fame.*

LVII.

*Tēne adeo quemquam, sub imagine patris eādem,
Deque pari fictum spernere posse luto?*

LVIII.

*Cetera gens hominum fortunæ obnoxia seruit:
Liber ab hac sapiens, sed modò dic ubi sit?*

LIX.

*Intrepidus, dives, centena in compede liber,
Et suus, & quovis Rex dominusque loco.*

LX.

*Mille cruces instent, manet imperterritus ille,
Et meriti iudex fit pretiumque sui.*

LXI.

*Nec libris virtus, nec tanto queritur auro:
Qui pariat constans creberque usus erit.*

LXII.

*Helluo sese onerat non proficiente saburrâ:
Obruitur lectis mens sine fine libris.*

LXIII.

*Esse potes sapiens, nisi iam fortasse vidêris:
Disce igitur, nam fit nemo repente faber.*

LXIII.

*Nomen in aquoreas torrens non perferet undas,
Longius à parnis ortus ut amnis aquis.*

LXV.

*Semen agro, pactam mercedem redde colono:
Et memor absenti quam potes usque fidem.*

LXVI.

*Periurus caue sis: & si iurare necesse est,
Usurpa magni numina sola Dei.*

LXVII.

*Odit enim bunitque Deus periuria, nec vult
Fle fidem veris per peritura dari.*

LXVIII.

*Ars sua cuique sat est, laudem pete totus ab unâ:
Mitte suas alijs: quod potes adde tuæ.*

LXIX.

*Quod potes hoc aude, nec opes nec anhelus honores.
Appete: nec stultus quare: timé-ve mori.*

LXX.

*Castâ thoro tantùm tenuis, haud benè casta vocatur:
Castam linguâ, oculis, ore, manûque volo.*

LXXI.

*Non alius grauior quàm qui libratus in aurem,
Ictus ab eloquio, léue fluente venit.*

LXXII.

*Hac meritò se parte pugil benè cautus obarmat:
Indiget opposito tegmine nulla magis.*

LXXIII.

*Scilicet in mentes penetrant admissa per aurem,
Firma claudenda est illa fenestra serâ.*

LXXIII.

*De multis nugas metri & mendacia verbis,
Astricta verum sub breuitate later.*

LXXV.

*Harpocrates digito seruanda silentia monstrat :
Vtque prior faciat quod iubet ipse, tacet.*

LXXVI.

*Dives ut innumeris aperit se regia gazis,
Monstrat & aurifero quicquid ab orbe venit.*

LXXVII.

*Arcanas sic fundit opes, miracula rerum :
Cum se aperit studiis mens operata bonis.*

LXXVIII.

*Hoc Latium est, cadit Hebraeis è fontibus illud,
Aut Grecis: ita gens omnis & ora sapit.*

LXXIX.

*Nostra queri semper iuuat & consingere causa
At queritur quoties alter, id omne leue est.*

LXXX.

*Inuidus ipse sibi iudex & tortor, & idem
Pœna Perillei non minor arte rogi.*

LXXXI.

*Expertus demùm te dira Calumnia pingat :
Nescit inexpertus vim furiasque mali.*

Non

LXXXII.

*Non syluis, non illa mari, nec in aëre degit,
Regum captatis auribus illa sedet.*

LXXXIII.

*Astringit seuis innoxia guttura nodis,
Ut salua nunquam de cute liuor abit.*

LXXXIII.

*In re quisque sua lancem malè sustinet, atque
Affectu trahitur pendulus ipse suo.*

LXXXV.

*Ne sit homo quisquam, sed lex, tibi fundus & author,
Iudicio cum lis est terminanda suo.*

LXXXVI.

*Dissoluunt numerum parte, redduntque vicissim,
Fus solue in partes iuris, habebis idem.*

LXXXVII.

*Post maria & Scyllas Ithacam, rege saluus Vlysses:
Naufragium in portu nauita saepe facit.*

LXXXVIII.

*Ante diu cunctèrè, licet: promiseris hosti:
Quæ data seruanda est quomodocumque fides.*

*Maiorum incultas quamuis, ne despice leges
Nam rerum nescis pendeat unde salus.*

X C.

*Sirenas Circénque senex iuuenisque caueto,
In stupidam nisi vis degenerare feram.*

X C I.

*Quod possis id velle licet, si fásque piúmque
Ductaque ab aeterna regula lege finit.*

X C II.

*Mutantur magno rerum discrimine leges,
Nec tutum est hac te parte Lycurge sequi.*

X C III.

*Nec mihi, posse merum, proprij nec formula motus,
Quâ canones, leges quâ periere, placet.*

X C IIII.

*Præcepta credulitas, iuuenisque nouusque minister,
Et palpo, rerum fata necémque trahunt.*

X C V.

*Perfida dissimulant ignauaque pectora, seuus
Hinc Regum erumpit, mox populique furor.*

Regia

XCVI.

Regi laus & sors largiri ut quisque meretur,
Id populi fiat dum sine fraude tui.

XCVII.

Armati parere negant & ponere ferrum,
Magna movet quisquis vulgus ad arma vocat.

XCVIII.

Democritus nostræ risit ludibria vitæ,
Da lachrymas nostris nunc Ephesine malis.

XCIX.

Comis in externos facilisque audire querentes,
Parce quod his dones, eripuisse tuis.

C.

Scis quibus & verbis amor alliciatur & herbis?
Ars non longa mea est: ut redameris ama.

CI.

Regnorum malus est custos metus, optet amari,
Non metui, quisquis rex volet esse diu.

CII.

Non Diadema magis tibi, quàm Libitina placeret,
Si scires hac te conditione mori.

CIII.

Scilicet id regnum est rerum tolerare labores,
Nec sibi sed populis vivere velle suis.

CLIII.

Vix iuvenes sapiunt, vix qui metuuntur amantur,
Vix senio & siccâ morte Tyrannus obit.

C

C V.

*Non epula saturis, chorea nec tristibus apta,
Nec pelagus timidis, apta nec aula bonis.*

C V I.

*Mellâque Palponum, félque irrisoris, & hostis
Improbis, & linguæ sæva venena mala:*

C V I I.

*Mentiri, captare bonos, calcare iacentes,
Tondère absentes, aulica vita prope est.*

C V I I I.

*Et rixa & veros fortuna exclamat amicos,
Amisissusque aula destituente fauor.*

C I X.

*Seu proceres, seu Rex, populûs-ve tenebit habenas,
Sub quibus es natus sceptrâ tuenda putâ.*

C X.

*Fas optare bonum, sed qualiscumque feratur:
Et placeat princeps, si placet alma quies.*

C X I.

*Ne Regi collude suo; grâuis alea planè est;
Præcipitat Regum lubricus ille fauor.*

C X I I.

*Matutina polo si te tulit aura repente,
Vespere ne rursum desinas illa caue.*

C X I I I.

*Summa petit fulmen, natat ima sub æquore tellus:
Qua mediâ semper tutior ora fuit.*

Stultus

CXIII.

*Stultus opum labor est, paruo benè uiuitur, & cui,
Non modicum satis est, nil satis esse potest.*

CXV.

*Quando bonos ad se Deus euocat àgmine magno:
Tunc age dic, terris atra procella uenit.*

CXVI.

*Regna boni fulcire solent, ut machina molem,
Grandis ut impositum pila tuerur onus.*

CXVII.

*At breuis est atas: sat longæ tempora uitæ,
Si rectè ut uiuas, uinere quaris, habès.*

CXVIII.

*Nulla satis merces merito uenit æqua magistri,
Quo sapere, atque puer doctus es ante loqui.*

CXIX.

*Cede seni ludis, mensâque foróque, viâque:
Ut tibi mox cano cedat & alter idem.*

CXX.

*Qui meritum exprobrat, sibi soluit, & ipse loquendo
Amitit meriti vim præiûmque sui.*

CXXI.

*Sit Cereri Bacchóque modus, duróque labori,
(Immoderata nocent omnia) sanus eris.*

CXXII.

*Improbis opprobrium uoluit tibi dicere? ride:
Laus à laudatis opprobriûmque uenit.*

CXXIII.

*Nil propriè loquimur confusâque nomina fallunt,
Virtutum in vitio, laudis in opprobrio.*

CXXIII.

*Candidus interpres, dextèrque, benè omnia verte,
Si potes: & lauda quàm reprehende magis.*

CXXV.

*Qui sapere ipse sibi, quique omnia scire videtur,
Si tentes, fatuè futilis intus homo est.*

CXXVI.

*Ingenuis pudor est, ut diffidentia doctis:
Hæ Sophiæ fruges, hæc documenta, meæ.*

FINIS.

Expressit è Gallicis Pibracij Iac. Guyonius
Heduus, 1583. 6. Septembris.



